Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1171
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

surrexerunt autem quidam de synagoga quæ appellabatur libertinorum
et cyrenæorum et alexandrinorum et eorum qui erant a cilicia et
asia disputantes cum stephano et non poterant resistere sapie
ntiæ et spiritui qui loquebatur. Tunc subornaverunt viros qui dicerent
se audisse eum dicentem verba blasphemie in moysen et deum. Con
moverunt itaque plebem et senores et scribas et concurrentes
rapuerunt eum et adduxerunt in concilium et statuerunt falsos
testes dicentes. Iste non cessat loqui verba adversus locum sanc
tum et legem. Audivimus enim eum dicentem quoniam ihesus nazareus hic
destruet locum istum et mutabit traditiones quas tradidit nobis
moises. Et intuentes in eum omnes qui sedebant in concilio
viderunt faciem eius tamquam faciem angeli.

Dixit autem princeps sacerdotum stephano. Si hec ita
se habent. Viri fratres et patres audite. Deus
gloriæ apparuit patri nostro abraham cum esset in mesopo
tamia priusquam moraretur in charran et dixit ad illum
Exi de terra tua et de cognatione tua et veni in terram quam
monstrabo tibi. Tunc exivit de terra caldeorum et habitavit in charran
et inde postquam mortuus est pater eius transtulit illum in terram istam
in qua nunc vos habitatis et non dedit illi hereditatem in ea ne
quidem passum quem pedis. Et promisit dare illi eam in possessionem
et semini eius post ipsum cum non haberet filium. Locutus autem est ei deus
quoniam erit semen eius accola in terra aliena et servituti eos subiicient
et male tractabunt eos annis quadringentis. Verumtamen et gentem cui
servierunt iudicabo ego dicit dominus. Et postea exibunt et servient
mihi in loco isto. Et dedit illi testamentum circumcisionis et sic genuit
ysaac et circumcidit eum die octava et ysaac iacob et iacob pa
triarchas et patriarche emulantes gloriantes vendiderunt
ioseph in egypto et deus erat cum eo et eripuit eum
ab omnibus tribulationibus eius et dedit ei gratiam et sapiam
in conspectu pharaonis regis egypti et constituit eum prepositum
super egiptum et super omnem domum suam. Venit autem fames